



# Disputatio juridica inauguralis de rei vindicatione

<https://hdl.handle.net/1874/345785>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
REI VINDICATIONE,


Q U A M,  
FAVENTE DEO OPT. MAX.  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris, & Linguae Sanctæ in Illustri  
Academia Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

T N E C N O N  
*Amplissimi Senatûs Academici consensu, & Nobilissima  
Facultatis JURIDICÆ Decretis,*  
PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
rite ac legitimè consequendis,  
*Eruditorum Examine subicit*

GERHARDUS PRONCK, ARNHEMIENSIS,  
A. D. 5. FEBRUARI, horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, cl3 l3c xciv.



*Natalium & virtutum splendore nobilissimis, honorumque  
insignibus ac meritorum in publicam rem magnitudine  
conspicuis VIRIS,*

D. LUCÆ WILHELMO AB ESSEN, Domino de  
Helbergen, Oldenhave & Schaffeler, Teutonici Ordinis equiti, in Quinque-virorum rei venatoriæ causisque super ea natis cum summa potestate per omnem Velaviæ tractum judicandis præfectorum collegium nobilissimum adscripto: ad confesum potentissimorum Ordinum Tetrarchiæ Velaviæ delegato extraordinario, Velaviæque Prætori supremo,

NEC NON IET

D. JOHANNI AB ARNHEM, Domino in Rosen-dael & de Harfeloo, ad confesum potentissimorum Ordinum Tetrarchiæ Velaviæ delegato ordinario, ejusdemque confessus Præsidi spectatissimo, inter Quinque-viros causis rei venatoriæ per totam Velaviam cognoscendis præpositos adscripto, Ducatus Gelriæ ac Comitatus Zutphanix extra ordinem Senatori, & Urbis & Territorii Arenacensis, itemque Zonæ Velaviæ Prætori dignissimo,

TUM ETIAM

*VIRO Amplissimo*

D. PETRO NOYEN, J. U. Doctore, & Ducatus Gelriæ ac Comitatus Zutphanix Senatori gravissimo ordinario,

*Hanc disputationem inauguralem, ut &  
se ipsum, ea qua par est reverentia*

Ex Officina F. R. A. D. S. C. I. H. A. L. M. A. A. C. A. D. E. M. T. Y. P. O. G. R. A. P. H. I. C. I. C. I. S. C. I. A. C. I. V. A. U. C. T. O. R.



DISPUTATIO JURIDICA  
 INAUGURALIS  
 DE  
**REI VINDICATIONE.**

THESIS I.



Um jure naturali & civili introducta ac comprobata sit distinctio dominiorum, consequens fuit proponere tales actiones, quibus domini jus sibi acquisitum adsererent adversus eos, qui, contempta tali distinctione, nollent aliena restituere, si forte quovis modo sine voluntate dominorum ad eos pervenis-

sent; neque enim tam perpetuâ possumus res nostras retinere custodiâ, quin aliquando ad alios perveniant. Harum igitur actionum prima est & princeps Rei Vindicatio.

II.

*Rei* vox in jure nostro latius sæpe accipitur, & significat



cat res, tam incorporales, quam corporales; tam extra patrimonium, quam in patrimonio constitutas; tam universalitatis, quam singulas *l. 5. 6. 23. ff. de V. S.* Hoc loco autem significat rem corporalem, quam actor dicit esse in dominio suo stricte accepto, sive cujus proprietatem sibi asserit. *Vindicare* in juridica significatione est rem, tanquam propriam petere & suam esse dicere proprietatis affirmatione. *Vindicare* ait Vult. in §. 1. *7. de act. est vel dominium rei, vel jus quod quis habet in re, sibi asserere, & ita non tantum proprietatem rei, sed aliud etiam jus, quod quis in re habere potest.* Tripliciter in jure hæc vox sumitur, 1. latissime pro omni actione tam reali quam personali, ita ut tunc vindicare nihil aliud denotet, quam jus suum in judicio asserere. 2. late pro omni actione reali in §. 15. *7. de act. & in l. 25. ff. de O. & A.* 3. stricte pro illa speciali actione, quæ oritur ex dominio, & qua dominium asseritur. hæc posterior significatio est hujus loci, & in ea sic eam definire licet:

I I I.

*Rei Vindicatio* est actio civilis (numeratur enim inter eas in §. 3. *7. de act.* ubi *ex legitimis & civilibus causis descendere dicitur*) in rem (oritur enim ex dominio) quæ datur soli domino, adversus quemcunque rei possessorem, sive sit in possessione, sive dolo possidere desierit, ad id, ut res ipsi restituatur cum fructibus & omni causa. Ex datâ definitione, duo hujus actionis esse requisita, patet; à parte actoris dominium, à parte rei possessionem. Actor debet esse dominus sive jure gentium sive jure civili *l. 23. ff. h. t.* & hoc tenetur probare, alias reus est absolvendus *l. ul. Cod. h. t. §. 4. 7. de interd. l. 4. Cod. de edend.* Quomodo autem fiat domini probatio docetur in *Nov. 18. c. 10.* Neque enim illis assentior, qui possessorem contra probare teneri contendunt, cum ne quidem ad hoc compelli possit, ut vel  
titulum

titulum suæ possessionis edat *l. 11. Cod. de pet. hered.* Nec quidquam illos juvat §. 1. *f. de act.* in verbis *possessor autem dominium. &c.* dicimus enim cum Vinn. *ad d. §.* ibi contineri vestigia juris antiqui, cum possessor contra vindicabat. Cum vero domini probatio aliquando difficilis sit & periculosa, siquidem & dominium auctoris oportet doceri *l. 20. ff. de A. R. D.* ut ea evitetur, duæ adsunt cautiones, 1. ut videat acturus, an aliquo interdicto possessionem nancisci possit *l. 24. ff. h. t. §. 4. f. de interd.* hoc enim obtento, onus probandi in adversarium devolvitur *l. ult. Cod. h. t. l. 23. Cod. de probat.* 2. potest tanquam b. f. poss. instituere actionem Publicianam *l. 1. ff. de Publ. in rem act.*

## I V.

Dividitur hæc actio ab Interp. in directam & utilem. Directam illis competere docent, qui directum habent dominium, sive, ut dictum, jure gentium sive civili acquisiverint *l. 23. ff. h. t.* neque ideo minus competit, quod abire à nobis dominium speratur *l. 66. ff. h. t.* Competit & marito ad vindicandam rem dotalem *l. 9. Cod. h. t.* civiliter enim est dominus *pr. f. quib. alien. lic. l. 9. §. 1. ff. de jure dot. l. 23. Cod. eod.* si vero dominio suo abutatur, eo casu uxori vi naturalis domini competit *l. 3. Cod. h. t.* Utilis rei vindicatio est, quæ competit utile dominium habentibus, qualis est emphyteuta *l. 1. §. 1. ff. si ager. vect. pet. superficarius l. 73. §. 1. & ll. seqq. ff. h. t.* emptor cui cessa est actio in rem *l. ult. Cod. de hered. vel act. vend. vasallus lib. 2. feud. tit. 8. cap. rei autem. ecclesiæ quoque utilis vindicatio datur, si res aliqua pecunia ejus fuerit empta, l. 23. Cod. de Sac. Sanct. Eccl.* Cum autem illi tantum hanc actionem exercere possint, qui domini sunt; hinc inter doctores acriter disputatur, num actor in hoc judicio victoriam obtinere possit, si demum post litis contestatio-



nem dominium nactus sit. Jure Canon. communiter affirmatur *p. c. 3. v. profains, de sent. & re jud. in 6.* de Jure Civili id quoque affirmantes sequor, 1. quia reus nihilominus condemnatur, licet post litem contestatam demum possidere incipiat *l. 27. §. 1. h. t. 2. arg. l. 9. §. ult. ff. de pign. act. l. 17. ff. mand. l. 56. ff. de re jud.* Diff. alii per *l. 23. l. 35. ff. de judic. l. 11. §. 4. & 5. ff. de except. rei jud. l. 7. §. fin. ff. ad exhib.* Hinc jam à contrario concludere licet, si tempore litis contestatæ actor quidem fuerit dominus, sed post litis contestationem dominium amiserit, reum esse absolvendum, arg. *l. 27. §. 1. ff. h. t.*

## V.

Ex dictis jam constat, illos non posse hanc actionem exercere, qui domini non sunt, qualis est iste, cujus pecunia res est empta *l. 6. Cod. h. t. l. 8. Cod. si quis alter. vel sibi sub alter. nom. &c.* pecunia enim regulariter non succedit in locum rei, arg. *l. 88. ff. de V. S.* sic ne uxori quidem, cujus pecunia dotali maritus fundum emit, competit utilis vindicatio *l. 12. Cod. de jur. dot.* A data regula tamen excipitur miles, cui datur utilis vindicatio ad ea quæ pecunia ejus sunt comparata *l. 8. C. h. t.* ratio videtur esse in favore militiæ. Etiam pupillus & minor, ratione rei pecunia sua emptæ, habent utilem vindicationem *l. 2. ff. quand. ex fact. tut. l. 3. Cod. arbit. tutel.* Nec advers. *l. 7. ff. qui pot. in pign.* ubi pupillo datur hypotheca in re pecunia sua empta *l. 35. §. 1. ff. de pign. act.* distinguo enim inter tutorem & extraneum, ut si tutor emerit, detur ei vindicatio; si extraneus, detur hypotheca. ratio distinctionis hæc esse videtur, quia major relatio est inter pupillum & tutorem, quam inter eum & extraneum; hinc tutor quasi nomine pupilli videtur emisse, sed non ita extraneus.

Datur

## V I.

Datur hæc actio, ut in definitione dictum, contra quemcunque rei possessorem §. 1. *f. de act. l. 36. pr. h. t.* nec refert, utrum b. an m. f. possessor sit *l. 10. 12. 21. ff. §. l. 1. Cod. h. t.* modo possideat tempore condemnationis *l. 27. §. 1. ff. h. t.* Illud autem est secundum hujus actionis requisitum, ut reus possideat. quod actoris quoque est, præter domini probationem, tanquam fundamentum suæ intentionis, à sua parte probare *l. 2. l. 18. Cod. de probat. l. 24. l. 36. ff. l. ult. Cod. h. t.* Quod si reus per mendacium se possidere negaverit, actorque contrarium probaverit, transfert possessionem in se, licet suam esse non probaverit *l. ult. ff. h. t.* Non tantum dicitur is possidere, qui ipse, id est, suo nomine possidet *l. 9. ff. h. t.* sed etiam is, qui est in possessione, id est, qui alieno nomine possidet, ut commodatarius, depositarius *d. l. 9.* hi tamen ante litem contestatam auctorem nominando liberantur *l. 2. Cod. ubi in rem. act. exerc. &c.* Hac occasione quaeritur, an sententia contra illos, qui alieno nomine possident, lata præjudicet vero possessori. Pro affirmativa sententia stant hæ rationes. 1. quia per alios possessionem amittere possumus *l. 44. §. 2. ff. de acquir. poss.* 2. ex formula prætoris quæ indistincte erat concepta, *si parer actorem dominum esse, iudex condemna.* 3. frustra Jctus in *d. l. 9.* diceret, eum, qui alieno nomine possidet, hac actione posse conveniri, cum quis nihil ea consequi posset; at verba cum effectu sunt accipienda *l. 5. §. 2. ff. ne quis eum qui in jus voc. &c.* Diff. alii per *tit. Cod. res int. al. act. &c. §. per l. 63. ff. de re jud.*

## V I I.

Competit hæc actio non tantum contra eum, qui possidet



fidet, verum contra eum quoque, qui dolo fecit, quo minus possideat, sive ante sive post litem contestatam id fecerit *l. 27. §. 3. ff. h. t.* ratio est, quia pro possessione dolus est *l. 131. ff. de R. Jur. l. 157. §. 1. eod.* qui tunc condemnatur, quanti actor in litem juraverit, nec potest petere, ut actiones sibi cedantur *l. 63. l. 68. l. 71. ff. h. t.* Si vero culpa possidere desierit post litem contestationem, in æstimationem tenetur, & jure petit, ut sibi cedantur actiones *l. 63. ff. h. t.* Heres autem ejus, qui dolo possidere desit, non hac, sed in factum actione conveniri potest, quatenus ex dolo defuncti locupletior factus est *l. 52. ff. h. t.* Tenetur quoque hac actione, qui liti se obrulerit, licet ipse non possideat *l. 7. l. 25. h. t.* modo actor eum possidere ignoret: *nam si actor scit, tunc is non ab alio, sed à se dicitur, & ideo reus absolvitur, verba sunt Pauli in l. 26. ff. h. t.*

## V I I I.

Hucusque exposuimus, cui & contra quem hæc actio detur; restat ergo dicendum, quid hac actione petatur. Vindicantur hac actione res singulares *l. 56. ff. h. t.* corporales, quæ alicujus dominio contineri possunt, non tantum animatæ, sed & quæ anima carent, quæque solo continentur *l. 1. §. 1. h. t.* immobiles *l. 8. h. t.* res collectivæ, ut grex, armentum *l. 1. §. ult. l. 2. 3. h. t.* etiam liberi nostri ex jure Quiritium *l. 1. §. 2. h. t.* quodque ex re nostra superest, cujus vindicandi jus habemus *l. 49. §. 1. ff. h. t.* Non tamen petuntur hoc judicio res incorporales: de his enim aliæ actiones sunt comparatæ, sc. confessoria & negatoria *§. 2. §. de act.* nec res sacræ, aliæque extra commercium positæ *l. 23. §. 1. h. t.* Si res nostræ alienis ædibus junctæ fuerint, sic ut separari facile nequeant natura vel legis dispositione, competit actio in factum ad pretium; sin vero separari possint, competit actio ad exhiben-

hibendum, ut separentur; separata autem vindicari possunt *l. 23. §. 5. ff. h. t. l. 3. §. pen. l. 6. ff. ad exhib.* De tigno verò alienis ædibus juncto non datur vindicatio, nec actio ad exhibendum, sed specialis actio, quæ vocatur actio de tigno juncto in duplum. *§. 29. F. de A. R. D. l. 7. §. 10. ff. eod. l. 23. §. 6. h. t. Et tot. tit. ff. de tign. junct.*

## IX.

Actor petens rem, hac actione designare debet quantitatem, qualitatem & omnia adjuncta rei ad demonstrationem ejus necessaria, ut puta imperfectæ materiæ pondus, signatæ vero numerum, factæ denique speciem. sed & mensura dicenda erit, cum res mensura continebitur; & si de vestimentis forte agatur, tunc & numerum & colorem dicimus. veruntamen ad nimis curiosam designationem rerum non adstringimur, quia id inhumanum esset. in rebus immobilibus nomen est exprimendum, si quod habeant, & quo loci sint, quibus vicinæ *l. 5. in fin. l. 6. ff. h. t.*

## X.

Non tantum hac actione petitur res ipsa, sed & fructus, & rerum accessiones, veluti quæ per alluvionem accreverunt *l. 34. ff. h. t.* ædificium in solo positum *l. 16. C. h. t.* usufructus alienus, qui inter moras litis ad proprietarium rediit *l. 33. ff. h. t.* partus ancillarum; & quicquid post acceptum judicium possessor non ex re sua acquisivit *l. 20. ff. h. t.* nec enim sufficit corpus ipsum restitui, sed opus est ut & causa rei restituatur, id est, ut omne habeat petitor quod habiturus foret, si eo tempore, quo judicium accipiebatur, restitutus illi fuisset fundus. sic Gajus in *d. l. 20.* præterea ratio quoque per judicem habenda est, si res deterior reddatur *l. 13. 17. §. 1. h. t.*

## B

Præ-



## X I.

Præcipue autem in restitutionibus veniunt fructus; fructus verò est accessio rei, quæ vel ex ipsa re vel ejus occasione provenit l. 50. in fin. ff. ad SCrum Trebell. l. 9. l. 59. §. 1. ff. de usufr. suntque duplices vel naturales, qui ex re natura frugifera proveniunt, ut poma, pira, frumentum; vel civiles, qui occasione rei, naturâ sterilis, proveniunt, ut usuræ, pensiones, mercedes l. 62. h. t. l. 121. de V. S. l. 29. de pet. hered. l. 34. 36. ff. de usufr. naturales iterum sunt vel mercatales, quos natura profert sine cura & cultura hominis, ut glandes, poma, pira l. 28. 45. ff. de usufr. vel industriales, quos natura profert adhibita cura & cultura hominis, ut frumentum, vinum, oleum d. l. 45. & l. 78. ff. h. t. denique fructus sunt vel pendentes, qui in arbore adhuc pendent & cum terra conjuncti sunt, hi dicuntur pars fundi l. 44. h. t. vel à solo separati (aliter etiam percepti dicuntur) qui jam ab arbore vel terra remoti sunt. hi iterum sunt vel exstantes, qui adhuc in rerum natura sunt; vel consumpti, qui jam non amplius exstant. l. 22. Cod. h. t. l. 3. Cod. de cond. ex lege.

## X I I.

Quod ad restitutionem fructuum attinet, longe diversa ratio est bon. fid. & m. fid. possessoris. Bona fidei poss. est, qui ignorat rem alienam esse, & illa conscientia illam possidet l. 109. ff. de V. S. mal. fid. poss. est, qui id non ignorat l. 33. §. 1. ff. de usufr. & usurp. Quod ad b. f. poss. attinet, de illo notari potest hæc regula: Bona fidei possessor ante litem contestatam perceptos & consumptos fructus quoscunque irrevocabiliter suos facit. Dico ante lit. contest. nam post litis contestationem incipit esse m. f. poss. & tenetur restituere fructus consumptos & percipiendos l. 22. Cod. h. t. & §. 2. 7. de off. jud. Graviter huic sententiæ adversatur l. 25. §. ult. ff. de



de usur. in qua dicitur, bon. fid. emptorem, quod ad percipiendos fructus; intelligi debere, quamdiu fundus evictus non est. Ad cuius conciliationem videtur dicendum, quod b. f. possessor, quamvis scierit rem esse alienam, interim tamen maneat in possessione. nec statim possessio transfertur, nisi post condemnationem, & sic per consequens fructus percipiet usque ad sententiam, sed postea per sententiam condemnatus eos à tempore litis contestatæ perceptos restituere tenetur. ita ut d. l. nostræ regulæ haud contrarietur, cum quidem percipiat fructus, sed eos irrevocabiliter non faciat suos; sic Cuj. in tract. 7. ad Afr. ad l. 40. off. de acq. rer. dom. Fach. lib. 1. contr. c. 59. Bronch. cent. 2. ass. 88. aliter Pac. cent. 5. quest. 44. Donell. lib. 4. com. jur. c. 24.

## XIII.

Perceptos & consumptos. restituit enim exstantes b. f. poss. l. 22. Cod. h. t. nisi eos ufucepisset arg. l. 4. §. 19. ff. de usurp. sola autem perceptio non facit b. f. possessorem dominum, sed ad eam accedere debet consumptio d. l. 22. Cod. n. t. l. 4. §. 2. ff. fin. reg. sic. Vinn. select. quest. lib. 1. c. 26. Bronch. cent. 3. assert. 78. Cujac. in tract. 7. ad Afr. ad l. 40. de acq. rer. dom. Fachin. lib. 1. c. 57. Diss. Donell. in comm. de jur. civ. lib. 4. c. 24. 25. Erasim. Ungep. exerc. 5. quest. 12. 13. per §. 35. 7. de R. D. l. 25. §. 1. l. 28. ff. de usur. Per verba quoscunque fructus intelligo & naturales & industriales, quod expresse probatur per l. 48. pr. ff. de acquir. rer. dom. ratio est, quia b. f. possessor est loco domini d. l. 48. l. 136. ff. de R. jur. sic sentit Fach. lib. 1. contr. 57. Trentl. volum. 1. disp. 15. thes. 11. Bronch. cent. 3. ass. 78. Vinn. sel. quest. c. 25. Domin. Arum. disput. 8. t. 11. Diss. Cuj. ad d. l. 40. Pac. cent. 5. ad tit. de usur. q. 45. Ungep. exerc. 5. thes. 12. per §. 35. J. de A. R. D. l. 45. ff. de usur. Illud adhuc inter DD. de b. f. poss. disputatur & quaeritur, an non



saltem b. f. poss. ad restitutionem fructuum consumptorum teneatur, quatenus ex iis factus est locupletior. Neg. id *Vinn. lib. 1. sel. quest. c. 26. Fachin. lib. 1. controu. c. 58. Zouch. quest. jur. civ. class. 4. quest. 9.* & alii, illorumque castra sequor. liquido enim id probatur per *l. 4. §. 2. ff. fin. reg.* ubi dicitur, *b. f. poss. fructus lucrari.* Præterea ex contraria opinione illud absurdum sequeretur, quod prodigus, qui inutiliter fructus consumpsit, melioris esset conditionis, quam frugi. *Diff. Trentl. vol. 1. disp. 15. th. n. Covar. 1. var. resol. 3. n. 6. & alii. per l. 25. §. 11. ff. de pet. her.* Sed hoc libenter illis concedimus, b. f. poss. in iudicio universali sc. in petitione hereditatis teneri, quatenus locupletior factus. ratio est, quia fructus in numerum rerum hereditariarum recipiuntur, ipsamque augment hereditatem, *l. 20. §. 3. ff. de pet. her.*

## XIV.

Ad m. f. possessorem quod attinet, ille omnino nullos fructus suos facit, sed omnes cum ipsa re præstare tenetur, nec tantum perceptos, verum & percipiendos, hoc est, quos vel ipse actor, si ei possidere licuisset, vel possessor, si majorem curam & diligentiam adhibuisset, percipere potuisset *l. 33. 62. ff. l. 5. l. 22. Cod. h. r.* Quo casu mihi placet illorum sententia; quæ concedit electionem petitori, ut si velit, possit illos fructus petere, quos ipse percipere potuisset; vel, si malit, possit illos petere, quos possessor percipere potuisset. Nec admittenda illorum sententia, qui ex *l. 17. C. h. r.* distinguunt, utrum m. f. poss. titulum, quo casu tantum teneretur de perceptis; an vero nullum habuerit, quo casu demum & de percipiendis conveniri posset. non enim illa distinctio ex *d. l. 17.* probatur, & in specie repugnat *d. l. 5. & l. 22. Cod. h. r.*

Quod

## XV.

Quod hactenus dictum, rem domino restitui debere etiam cum fructibus, hoc ita intelligendum, ut prius deducantur impensæ, si quæ factæ sint. & hic quoque ut supra de restitutionibus fructuum, inter b. & m. f. possessorem distinguendum. Possessor enim b. f. necessarias & utiles impensas in rem factas in totum deducit, siue res exstet, siue non *l. 48. h. t. l. 38. 39. ff. de pet. her.* Si tamen utiles impensæ, quas b. f. possessor fecit, nimis graves sint, nec eas ipse dominus, si ei possidere licuisset, factururus fuisset, hoc casu vel eas tantum tollit; vel recuperat tantum, quantum res inde melior facta est *l. 38. h. t.* Quod ad voluptuarias impensas attinet, distinguunt DD. inter hanc actionem & petitionem hereditatis: in hac eas tantum tollit, quatenus id sine læsione & detrimento rei fieri potest *d. l. 38.* in illa vero eas quoque deducit *l. 39. §. 1. ff. de pet. her.* Malæ fidei possessor stricto jure nullas deducit impensas, cum sibi imputare debeat, quod sciens in alienam rem impenderit. *sed benignius est*, inquit Paulus, *in d. l. 38. ff. de pet. her. in hujus quoque persona rationem haberi impensarum, ne scilicet petitor ex aliena jactura lucrum faciat.* deducet ergo m. f. possessor necessarias impensas *l. 5. C. h. t. & d. l. 38.* ratio est, quod non possit videri donasse, qui necessario egit, sciens negligentiam sibi fore imputandam; in necessitate enim nemo est liberalis. si tamen fur sit vel prædo, aliud videtur dicendum propter *l. 1. Cod. de infant. expos. l. 12. ff. de cond. furt.* Utiles & voluptuariæ impensæ à m. f. poss. factæ non deducuntur, sed tantum tolluntur, si id sine læsione rei fieri possit *l. 37. ff. h. t. l. 5. Cod. h. t.*



## XVI.

Impensæ fructuum percipiendorum causa factæ deducuntur ab omnibus omnino possessoribus, etsi sint prædones *l. 36. §. ult. ff. de pect. her.* tum quia sine iis fructus non fuissent; & eandem facturum fuisset dominus, tum quod fructus eos tantum esse constet, qui deductis impensis superfunt *d. l. 36. l. 46. ff. de usur. l. 7. ff. sol. matr.* Exceptio tamen est in *l. 27. §. 25. ff. ad leg. Aquil.* ratio hæc esse videtur, quia ibi impensæ factæ erant in collectionem fructuum rei ab alio possessæ. Si aliquod pretium pro re, quæ vindicatur vel à m. vel à b. f. poss. solutum fuerit, illud repetere nequeunt *l. 3. 23. C. h. t.* Illud circa restitutionem impensarum inter DD. controversatur, an detur aliqua actio ad eas repetendas. Negantium opinio verior videtur, sed per retentionem sibi consulere debent, opposita doli mali exceptione *§. 30. 7. de R. D. l. 48. ff. h. t. 33. de cond. ind. l. 14. §. 1. ff. commun. div.* Diss. alii per *l. 40. §. 1. ff. de cond. ind. l. 8. in pr. de pign. act. l. 7. §. fin. ff. solut. matr.* Circa hanc materiam hoc quoque quær. an b. f. poss. si repetat impensas, cogatur admittere compensationem ad concurrentem fructuum naturalium & industrialium quantitatem. quod affirmat *l. 48. l. 65. h. t. l. 51. ff. fam. erisc. l. 16. Cod. de evict.*

## XVII.

Effectus hujus actionis est, quod actori, si in iudicio obtinuerit, res sit restituenda cum omni causa, id est, cum omni utilitate, quam habuisset, si ipsi tempore iudicii accepti res restituta fuisset; & quidem eo in loco, in quo petitur, aut si alibi sit, impensis petitoris transferenda, nisi reus eam dolo transtulisset alio *l. 10. 11. 12. ff. h. t.* Qui autem ita restituere jussus, iudicio non parer, contem-

dens non posse restituere, si quidem habeat rem, manu militari officio iudicis ab eo possessio transferitur, & fructuum duntaxat, omnisque cause nomine condemnatio fit. Si vero non potest restituere, si quidem dolo fecit, quo minus possit, is quantum adversarius in litem sine ulla taxatione in infinitum juraverit, damnandus est. Si vero nec potest restituere, nec dolo fecit, quo minus possit, non pluris quam quanti res est, id est, quanti adversarii interfuerit condemnandus est. Hæc sententia generalis est & ad omnia sive interdicta, sive actiones in rem sive in personam sunt, ex quibus arbitrium iudicis quid restituatur, locum habet l. 68. ff. h. t.

I V

Periculum rei vendite perit ad emptorem.

## COROLLARIA.

S I M P L I C I T E R

I.

*Dolus dans causam contractui bonæ fidei reddit eum ipso jure nullum.*

I I.

*Eidejussor acceptus in majorem summam quam reus principalis tenetur ad concurrentem.*

I I I.

*Querela inofficiosi testamenti est ipsa petitio hereditatis.*

Actio



I V.

*Actio realis æque in loco domicilii potest institui quam in loco rei sitæ.*

V.

*Licet emendare libellum post litem contestatam.*

V I.

*Periculum rei venditæ pertinet ad emptorem.*

GOROLLARIA  
FINIS.



I I I